

44624

Disputatio

DE

NORMA CONTRO- VERSIARUM,

Pontificiorum erroribus opposita,

CUIUS SUBIECTAS THESES,

Sub auspiciis Sacrosanctæ Trinitatis in inclytâ

TUBINGA,

PRÆSIDE,

THEODORO THUM- MIO, SS. THEOLOGIÆ DOCTO-

re & Professore Ordinario, Ecclesiæ ibidem Pastore, & p. t.
Collegii DECANO, Hospite & Fautore suo pluri-
mum honorando.

PUBLICÈ PROPUGNABIT

M. Christophorus Scholtzius,

Uratislaviensis, SiL.

In Aulâ Theologorum Novâ

Ad diem IV. & V. Decembris.



TUBINGÆ,

Excudebat Theodoricus Vverlin,

ANNO M.DC.XVIII.

neol. ev. pol.

242, 51

Handwritten red ink markings: a large '4', a signature-like scribble, and the Roman numeral 'XVIII'.

MAGNIFICIS, STRENUIS, NOBILISSIMIS,
PRUDENTIA ET AVTORITATE AM-
plissimis Viris.

Dn. ADAMO DOBSCHÜTZ
in Silmenaw/ze.

Vrbis & Ducatus Vratislaviensis,
Præfecto,

Dn. JOSEPHO FÜRST,
à Kupfferberg/in Liebenstein Girbigisdorff
& Albrechtsdorff.

Dn. CASPARO ARTZAT,
à Schottkau/in Born.

Dn. CHRISTOPHORO POLEY,
à Thiergarten/ze.

Dn. NICOLA OEBEN,
in Cattern.

Florentissimæ eiusdem Reipublicæ
Senatoribus,

PATRIBVS PATRIÆ:

*Dominis Patronis, Fautoribus & Promoto-
ribus suis, omni Reverentiâ prosequendis.*

Disputationem hanc Theologicam

IN

*Grati animi monumentum,
Debitæ observantia argumentum,
Studiorumq; piorum testimonium.*

Inscribit & offert

M. Christophorus Scholtzius
Vratislaviensis.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

Handwritten text on a piece of paper, possibly a library label or receipt, with some illegible markings and numbers.



Disputatio

DE

NORMA CONTROVER- SIARUM.

THESIS I.



SCRIPTURA SACRA, PROPHE-
tarum & Apostolorum libris comprehen-
sa, considerari potest tum *Absolutè in se*, tum
Relatè ad nos; In se & absolutè, vel ratione
Authoris, à quo 2. Tim. 3. v. 16. est inspi-
rata, atque 2. Pet. 1. v. 19. allata, & sic dici-
tur *divina*, vel ratione *forma & finis*, tum directivi, tum defi-
nitivi, & sic dicitur *Canonica*, ea de causa inspirata, ut Eccle-
sia in credendis & faciendis, veritatis & rectitudinis habe-
at normam & regulam.

II. *Vtrum autem sit unica, totalis & perfecta, an solummodo
dimidiata & partialis norma*, inter Augustanæ Confessionis
Ecclesias & Romano-Catholicas diu concertatum fuit.

III. Quæstionis igitur hujus decisio, cùm ipsum *Verita-
tis principium*, à quo cætera omnia dependent, concernat,
cognituque vel maximè utilis & necessaria sit; idcirco de
ea piam & simplicem συζητησιw instituire placuit, eâ qui-
dem serie & methodo, ut legitimo controversiæ statu for-

mato, Orthodoxa sententia apodicticè demonstratur: E' *ε'ρε-
πόδοξα* verò disputatione subsequenti solidè confutetur.

IV. Quæ autem circa præsentem quæstionem Pontificiorum sit sententia, sequentia illorum propria effata luculenter edocent. *Concil. Trident. Decret. i. sess. 4.* Sacrosancta Tridentina Synodus perspicuens hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & *sine scripto traditionibus*, quæ ex ipsius CHRISTI ore, ab Apostolis accepta, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros, tam Veteris, quàm Novi Testamenti (cum utriusque Unus sit Author) *nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes*, tanquã vel ore tenus à Christo vel à Spiritu Sancto dictatas, & continuâ successione in Ecclesia Catholica conservatas, *paripietatis affectu & reverentia* suscipit ac veneratur. Et *Can. 20. sess. 6.* Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam *mandatorum DEI & Ecclesie*, sed tantum ad credendum, quasi verò Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; Anathema sit. *Bellarmin. lib. 4. de verbo DEI: c. 3.* primò asserimus, in scripturis *non contineri expresse totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus*, & proinde præter verbum DEI scriptum requiri etiam non scriptum, scilicet *Divinas & Apostolicas traditiones*, quæ tamen *eandem vim habent*, ad pietatem, quàm verbum DEI scriptum, *pariq; veneratione* cum Verbo DEI scripto sunt tractandæ, c. 7. Et cap. 4. scripturæ sine traditione non fuissent simpliciter necessariae, *nec sufficientes*. Et ibid. Apostoli non dicunt, scripta Prophetarum & Apostolorum esse Fundamenta: Sed Apostolos & Prophetas; isti autem non solùm scripserunt, sed etiam

ore

ore tradiderunt, & docuerunt se scripsisse. Et cap. seq. 12.1.

4. Scripturæ proprius finis non est, ut sit regula fidei: sed, ut sit quoddam *commonitorium* utile, ad conservandam & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam, hoc est: Pontifici Romano Scriptura non est canon & regula fidei, sed tantum loco *commonitorii*, non quidem ex necessitate, sed ex utilitate ad fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam. *Costerus* in *Enchirid. de script.* Istæ, scilicet Scripturæ, non omnia continent Religionis mysteria explicitè, utpote non ob id data, ut formulam exactam omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis Sacramentorum, aliorumque in Rep. Christiana necessariorum: sed occasione quadam, vel ad Judæos & Hæreticos confundendos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos, à quibusdam scriptæ, & nonnullis Ecclesiis missæ. *Stapletonus* *Controv. 5. de potest. Eccles. quæst. 5. artic. 2.* alio modo *traditio* vocatur doctrina aliqua, quæ solum vivâ voce ab Apostolis & primis fidei Magistris prædicata est, nec in Scripturas Canonicas redacta. Talem autem doctrinam ab Apostolis traditam fuisse, ex Patribus ostensum est, nempe *excellentiora quadam mysteria*, quæ non erant omnibus propalanda. Et in *Triplicat. adversus Wittacker. c. 4.* E quibus conficitur, inter externa omnia media, *solius Ecclesie testimonium* ad omne de fide dubium tollendum, sufficere posse ac debere. *Turrianus* lib. 1. contra *Sadeelem* scribit: Si Scripturam Sacram solum fidei regulam in Ecclesia Christus reliquisset, quid aliud, quàm *gladium Delphicum* haberemus? *Melchior Canus* l. 3. loc. comm. c. 3. quatuor ponit fundamenta, quibus astruere satagit, Apostolos non omnem doctrinam circa fidem & mores literis consignasse, quorum *primum*: Ecclesiam esse antiquiorem Scripturâ, fidemque proinde & religionem sine Scriptura constare.

Scriptura Sacra non dicitur *Commonitoria*: sed *Canonica*.

2. Non omnia quæ ad doctrinam Christianam pertinent, esse etiam-
 num in sacris literis expressa. 3. Multa pertinere ad Christiano-
 rum doctrinam & fidem, quæ nec aperte, nec obscure in sacris li-
 teris continentur. 4. Apostolos maximis de causis alia qui-
 dem literis, alia autem vivâ voce prodidisse. Canum sequi-
 tur quoque *Gregorius de Valentia* in *Analysi fidei Catholicæ*
 part. 8. de usu & authoritate Pontif. in fidei quæst. *Dandra-*
da l. 2. de Script. & Trad. author. Constat planè insanire
 eos, qui Evangelistas omnia scripsisse contendunt, quæ ser-
 mone prius accuratissimè docuerant. Et iterum: jam qui-
 dem existimaveram, traditionibus tantùm ad veritatem vi-
 rium inesse, ut non minori sint pietatis affectu, quàm sacræ
 literæ, excipiendæ. *Alphonsus Salmeron.* tom. 13. disput. 8. in
 Epistol. Paul. ad Roman. *Traditio est ad salutem* necessaria,
 atque adeò magis, quàm ipsa Scriptura, quia notior est Ec-
 clesie & Apostolorum sanctitas, quàm scripturæ, cum hæc
 per illam cognoscatur. Scripturæ verè probantur, quia
 conformes sunt traditioni jam factæ. Ideò scriptum est, A-
 postolos profectos ubique prædicasse, Domino cooperan-
 te. Hinc in N. Testamento ad Ecclesiam mittitur, qui ali-
 quo dubio torquetur, ut constat Act. 19. non autem ad
 scripturas, quæ instar nasi cerei ducuntur quò vis vult. *Har-*
dinus pro Apol. Ecclesie Anglicanæ Tom. 2. Quòd autem
 omnia, quæcunque ad nostram salutem sunt necessaria, in sa-
 cra Scriptura contineri asseris, est hoc itidem falsum. In
Colloquio Ratisponensi Jesuitæ Bavarici in ingressu Collo-
 quii, quadruplicem normam fidei & cultus divini, videli-
 cet Scripturam Sacram, traditiones, Ecclesie definitiones,
 & doctorum consensum, defendendum susceperunt, in
 progressu Sacram Scripturam normam primariam con-
 cesserunt, in egressu verò id ipsum sonorâ voce iterum ne-
 gârunt, quando *Gretscherus* clamavit; *Nullam, Nullam, Nul-*
lam

Disputatio Theologica.

S

lam hæresin ex Scriptura solâ sufficienter refutari posse, ut in protocol. Colloq. Ratisp. videre est. *Becanus* lib. de iudice controvers. pag. 10. scribit: Agimus de iudice controversiarum in negotio fidei ac religionis, de quo aliter adversarii sentiunt, aliter Catholici. Adversarii ut plurimum docent, solam Scripturam esse normam & iudicem controversiarum fidei ac religionis, & ex ea sola, seclusis traditionibus & autoritate Ecclesiæ, controversias omnes finiri ac decidi posse. Catholici distinguunt inter iudicem & normam; iudicem vocant, qui fert sententiam inter partes litigantes: Normam, secundum quam fertur sententia à Iudice. Positâ hâc distinctione tria docent. 1. Ecclesiam esse iudicem Controversiarum. 2. Normam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sententia non esse solam scripturam, sed Scripturam & traditionem simul. 3. Ecclesiam juxta hanc normam dupliciter sententiam promulgare posse; vel per Pontificem, qui est Pastor Ecclesiæ, vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam, & utroque modo sententiam esse infallibilem.

V. Hinc igitur verus & genuinus controversiæ status emergit iste: *An verbum Dei, libris Prophetarum & Apostolorum comprehensum, ratione finis directivi, ab eo tempore, quo, Deo inspirante, omnia ad fidem & cultum necessaria sunt conscripta & in Canonem redacta, sit totalis, unica, perfectissima & infallibilis norma totius Religionis Christianæ, ita, ut nullum sit dogmatum de fide tum de cultu divino (in Adiaphoricis enim, quæ tantum quoad genus in scripturis continentur, Ecclesiæ sua est Libertas) quod non vel expressè in sacris literis contineatur, vel bona consequentia homogeneæ inde deduci possit; an verò sit solummodo partialis & dimidiata, quæ ad sui completum, perfectum & totale esse, requirat Ecclesiæ Romanæ traditiones non scriptas?* Prius affirmant Orthodoxi, posterius verò Papicolæ, quibus pro
confir-

Obiecta norma controversiarum Theologicarum, sunt vel primaria, ut fides & religio, vel secundaria, ut sunt res quæstionis, de Polygamia Patrum Vet. Testam. de voto Iephthæ & Similia, quæ indirectè ad salutem ordinantur, quia abique conscientia læsione hac vel ignorare, vel in his ab aliis dissentire, possumus.

confirmatione sententiæ nostræ orthodoxæ, sequentem opponimus Syllogismum apodicticum.

V I. Illa est totalis, unica, perfectissima & infallibilis omnium dijudicandarum controversiarum totius religionis Christianæ norma, 1. cui non modò nomen & definitio, 2. sed & omnia normæ requisita competunt, 3. quam Deus solam, ut adæquatā, in verbo, sub anathematis poena sequendam, omnibus proposuit, 4. quam ut normam pii omnes, tam Veteris quam N. Testamenti, in religionis & cultus negotiis sunt sequuti, 5. quam denique pia concilia, 6. orthodoxi patres, 7. ipsi que etiam contradicentes Papicolæ, pro unica norma agnoverunt.

Major junctim sumpta, sua luce radiat.

Script. Sacra

V II. Atqui verbo Dei libris Prophetarum & Apostolorum comprehensione finis directivi competit 1. non solùm nomen & definitio normæ.

Testatur enim Scriptura de seipsa, quod sit Canon & regula fidei, cultusque divini in c. 6. v. 16. ad Galatas, ὅσοι
 Πᾶσι τῷ κανόνι τῶν σοιχίστων, quicumque secundum hunc Ca-
 nonem

nonem incedent, pax erit super eos; ubi notandum, ¹. Apostolum non loqui indefinite, quicumque secundum hunc Canonem incedent, sed *δεικτικῶς καὶ ἐμφατικῶς*, quicumque secundum *Hunc* in hac nimirum Epistola assignatum Canonem incedent. ². Nec sermonem formare in præsenti, *σοιχῶσι*, incedunt, sed in Futuro, *ὅσοι σοιχήσασι*, qui incedent; ut ostendat hanc Epistolam esse scriptam non tantum propter Galatas in specie, sed & propter omnes Christianos in genere. juxta illud Apostoli. Rom. 15. v. 4. *quæcunq;* scripta sunt, propter *nostram* doctrinam scripta sunt. Eundem titulum inculcat Phil. 3. v. 15. quotquot igitur perfecti sumus hoc sentiamus, & si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. vers. 16. attamen ad id, quod assecuti sumus *τῷ αὐτῷ σοιχεῖν κανόνι*, eodem incedamus Canone, ut simus concordēs: v. 47. pariter estote imitatores mei fratres, & considerate eos, qui sic ambulant, *καθὼς ἔχετε τύπον ἡμῶν*, quemadmodum nos habetis exemplum. Psalm. 19. vers. 8. in omnem terram exivit sonus eorum (in Hebræo est Cav. quod Canonem seu lingulam in trutina, juxta quam æquilibrium constituitur, significat) & in omnes fines orbis terræ verba eorum; quod dictum Paulus Roman. 10. v. 18. de Prophetica & Apostolica doctrina interpretatur, eoque utitur adversus incredulos, Evangelio obedientiam denegantes, quibus Scripturam opponit, indeque clarissimè demonstrat, hanc solam esse & unicam viam à Deo revelatam, quâ ad salutem sit perveniendum, nec quicquam valere, nisi quod à Deo ipso profectum & constitutum sit.

VIII. Nominatur autem Scriptura Sacra Canon seu regula per Metaphoram. Vox enim Canonis propriè & primò ad *στατικὴν* seu ponderum officinam pertinet, ubi linguam, examen libræ, seu stylum significat, qui jugi recti in-

B

dex,

a) Aristoteles l. 2.
de Repub. c. 10. lib.
3. Ethicor. c. 4.

dex, & æquationis ponderum argumentum est: postea verò non solùm ad reliqua fabrilia, præcepta (a) item Philosophica, sed etiam ad religionis negotium translata fuit; Sicuti enim fabri materiam & ædificia ad regulam examinant, ut singulæ partes justâ symmetriâ cohæreant: ita quoque Architecti Spirituales, Ecclesiæ videlicet Ministri, Ecclesiam tanquam domum Spiritualem, juxta Scripturam Canonicam erigant, atque omnia, quæ hominibus secundum Dei revelationem & mandatum ad salutem necessariò sunt credenda, aut in cultu Dei vel agenda, vel omittere, juxta Canonem dirigant.

Definitio Canonis.
Hinc Polycleti pictoris Canon, quo opus omnibus numeris absolutum & exquisitissimè fabrefactum describimus, in proverbium abiit. de quo Plin. lib. 34. naturalis histor. c. 8.
2. Tim. 3. v. 16.
Rom. 15. 1. 4.

IX. Norma verò seu regula hæc non est *manca, dimidiata, aut partialis*, sicut Pontificii prætendunt (cum etiam juxta Philosophum sit *ἐν τῇ ἀδιαίρετον*. Seu uti Varinus Canonem definit. *Κάνων* sit *μέτρον ἀδιαψεύστον, πᾶσαν πρόθεσιν καὶ ἀφαιρέσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον*) sed *totalis, adequata & perfecta*, omnem religionem & cultum determinans. Totus namque Christianismus, qui teste Ignatio Epist. 7. nihil aliud est, quàm fides in Deum & caritas in proximum, seu fides vera & vita sincera, consistit vel in *γνώσει ἀληθείας* vel in *πράξει ὁσεβείας*; ibi apprehenditur veritas, hîc exercetur pieras: ibi Deus noscitur, hîc colitur: illud sapientiæ, hoc religionis est: de quibus breviter Lactantius l. 4. divin. instit. c. 4. Idem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapientiæ, & honorari, quod est religionis: sed sapientia præcedit, religio sequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere: Ad *γνώσιν* verò pertinet doctrinæ orthodoxæ seu veræ demonstratio, quæ est *διδασκαλία* & heterodoxæ refutatio, quæ vocatur *ἐλεγχο* seu redargutio: ad *πράξιν* spectat virtutum Commendatio & vitiorum Correctio, illa vocatur *παιδεία*, hæc verò *ἐπανόρθωσις*; at hæc capita omnia & singula universum nostrum Christianismum absolventia,

absolventia, ex solo verbo Dei perfectè nos habere posse, sequentia luculenter demonstrant. Exod. 24. vers. 3. 4. 7. 12. Deuter. 17. 18. 19. 31. v. 11. 12. 13. 24. 25. 29. 32. v. 46. Josu. 23. v. 6. Psalm. 119. v. 4. Luc. 1. v. 3. Roman. 15. v. 4. Quæcunque præscripta sunt, in *doctrinam* nostram præscripta sunt, ut per *patientiam & consolationem* scripturarum spem habeamus; In quo dicto tria notanda veniunt: ^{1.} quod de Solo Dei verbo scripto expressè loquitur. ^{2.} Quod generali axiomate finem & usum verbi istius definit & declarat, qui est doctrina patientiæ, adversus omnis generis calamitosas tentationes, quæ vitæ æternæ spem in dubium vocare poterant. ^{3.} Spem istam beneficio unius Scripturæ salvam nobis & integrâ esse. 2. Tim. 3. v. 14. At tu persistito in his, quæ didicisti, & quæ coneredita sunt tibi, sciens à quo *didiceris*: vers. 15. & quòd à puero sacras literas noveris, quæ te possunt σοφίσαι erudire ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. v. 16. Πᾶσα γραφή θεόπνευστος, hoc est, omnis, omnium temporum tam Veteris quàm Novi Testamenti, & tota Scriptura Sacra divinitus inspirata, utilis est, non solum tanquam præsidium, sed tanquam medium sufficientissimum & perfectissimum ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit Dei Homo πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρησμένον, quod vocabulum perfectionem significat, Matth. 21. v. 16. ex ore infantium & lactantium καταρτίσω αἶνον. 1. Thess. 3. v. 10. quæ desunt fidei vestræ complere καταρτίσω. Heb. 13. v. 21. Deus pacis absolutos vos reddat καταρτίσω ὑμᾶς ἐν παντί ἔργῳ ἀγαθῷ ad faciendum voluntatem eius. Quod autem ad salutem erudire, & hominem Dei, hoc est, Doctorem & Pastorem Ecclesiæ, qui non implicitè, sed juxta Andradium, lib. 3. Orthodox. Explicat. fol. 58. explicatius omnia credere tenetur, in suo officio rectè obeundo, perfectum

reddere, atque omne opus bonum instruere potest, in se perfectum sit necesse est.

X. Huc respexit Phocius apud Acumenium in tertium caput ad Philipp. fides, inquit, est instar Canonis: quem admodum enim, si è Canone aliquid abstuleris, vel ei aliquid addideris, corrupisti totum: sic etiam in fide. Hinc Basilius Magnus l. 1. contra Eunomium hæreticum Eunomium meritò & graviter reprehendit, quòd fidem Patrum, hoc est, doctrinam de Trinitate κανόνα (regulam vocet, simulque sicut hodiè Sophistæ, ne Scripturis divinis parùm tribuere videantur) dicat, ἀνεβέβητος προσθήκης, additione accuratiore indigere, ubi statim & illum & hos ex Natura & vi regulæ refellit, quando subjungit: Fuit autem id quoque extremæ ipsius inscitæ signum, si cui in hoc etiam inquirere placuerit. Nam certè regula & γνώμων, modò in eis nihil requiratur, quò minus regula sint & γνώμων nullà indigent additione, quâ fiant exactiora; Eius enim est additio cui deest aliquid, illa verò (nimirum regula & γνώμων) si quid ipsis deest, ne nominibus quidem illis congruenter vocentur.

XI. IDEM COMMVNITER veteres Orthodoxi docuerunt Patres. Irenæus lib. 2. adversus hæreses. c. 47. scripturæ perfecta sunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu eius dictæ. Tertullianus adversus Hermogenem: adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & Factorem manifestat & facta. Hilarius l. 2. de Trinitat. Quid in eodem Sacramento salutis humanæ (verbo Dei scripto) non continetur? Aut, quid est, quod reliquum sit aut obscurum? Plena sunt omnia & perfecta, ut à pleno & perfecto. Athanas. orat. contra Gentes: Sufficiunt equidem sanctæ & divinitus inspiratæ Scripturæ, ad veritatis indicationem. Et in orat. ad Serapionem: Solum ex sacris literis condiscas, sufficiunt enim, quæ in
illis

illis reperias documenta. Epiphanius hæresi 69. In Sacra Scriptura mirabiliter omnia ad nostram salutem, omnia Scripta sunt & perfecta. Augustin. l. 2. de doctrina Christiana c. 9. in iis, quæ apertè in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet, atque charitatem. Quicunq; ergo scripturam sacram regulam vocant, & tamen illam partialem statuunt, ἀσυστατα dicunt, cum mensura & regula non sit, quod totaliter non mensurat mensuratum, nisi quis ulnam respectu eiusdem semiulnam dicere velit.

XIV. 11. Sed & omnia normæ προσκείμενα;

Quorum Primum publica authoritas. Non enim sibi quisque in Republica mensuram, seu leges litium forensium dijudicandarum comminisci potest, sed necesse est, ut eæ, ab eo solo, cuius in Republica est suprema potestas, constituentur. Secundum; unitas, immutabilitas, infallibilitas, Si enim in una eademque Republica, de eodem omnino casu, simul essent contrariæ & dissentientes normæ ac leges, maxima inde ἀταξία sequeretur. Tertium; principii authoritas, eiusque generalitas, hoc est, ut principii vim habeat, ad quod omnia in isto genere mensuranda referantur. Quartum; Eiusdem cum normato ἰσότης sive equalitas, ut nimirum neutrum altero sit spatiosius. Quintum; inter normam & normatum identitas, hoc est, ratio normæ mensurantis sit, juxta Aristotelem etiam eiusdem generis seu essentiæ, cum ea, quæ est in normato ex.g. si mensura est longitudo, etiam mensuratum. Scriptura autem sacra, libris Prophetarum & Apostolorum comprehensa, ^{1.} divinam ac publicam habet Authoritatem (patet hoc non solum ex divina ipsius inspiratione, Mysteriorum in ea patefactorum, sublimitate, visio-

l. 10. Metaph. t. 4.

Propheta & Apostoli canonem fidei & morum ex immediata inspiratione divina accen-

perunt, Ecclesiaq;
tradiderunt, hinc
Theologia princi-
pia, omnium alia-
rum disciplina-
rum principiis lon-
gè excellentiora &
firmiora sunt, cum
illa ex immediata
revelatione S. S.
fluant, hac verò ex
lumine rationis
solummodo petan-
tur.

Veritatis norma
una & simplex est,
fidem nostram ul-
timò terminans.

num & rerum in ea descriptarum maiestate & antiquitate, præceptorum in ea traditorum sanctitate, vaticiniorum veritate, styli profunda simplicitate, partium eius, ab authoribus tam diversis, è locis tam diversis, in linguis tam diversis, conditarum *παραρρησία* & consensione admiranda, stupendaque eius in animis ciendis & excutiendis demulcendis & inflammandis efficacitate, sed & ex insperata eius adversus Satanæ aliorumque profanatorum furores defensione, miraculorum, quibus divinitus est confirmata, magnificentia, Martyrumque, qui sanguine suo obsignarunt, constantia) 2. *Unitatem* (non enim alia norma hodiè, alia heri fuit, sed una est 1. ORIGINALITER, quia à solo Deo 2. Samuel. 23. v. 2. 2. FUNDAMENTALITER, quia unico salutis fundamento, præter quod aliud poni non potest 1. Corinth. 3. v. 11. angulari nimirum lapidi Christo innittitur Act. 4. v. 11. Ephes. 2. v. 20. 1. Petr. 2. v. 7. 3. FORMALITER, quia sibi ipsi contraria non est, sed exactissima & admirabili harmonia in omnibus sibi correspondet. Novum enim Testamentum in veteri latet, & vetus in Novo patet, cum Prophetarum scripta nil aliud sint, quàm legis divinæ interpretationes: & Novum Testamentum expositio veteris, testante Paulo Act. 26. v. 21. Unde Augustinus graviter scripsit sup. Psalm. 105. de vera item religione cap. 17. & de Catechiz. rudibus cap. 4. & ult. & de moribus Ecclesiæ Cathol. c. 28. Vetus Testamentum in Novo revelatum est, Novum in Veteri velatum. Vetus Testamentum est occultatio Novi, & Novum manifestatio veteris. Quæ Testamta differunt figuris & figuratis, multitudine de paucitate Sacramentorum, timore & amore, servitute & libertate. In Veter. & Nov. Testamento, sicut prædicta sunt, quæ postea facta sunt in Ecclesia: sic etiam credenda sunt futura quæ nondum sunt completa. Et Hieronym.

Epistola

Epistola ad Damasum. Quicquid in Vet. Test. legimus, hoc idem in Evangelio reperimus, & quod in Evangelio fuerit lectitatum, hoc ex Veteris Testamenti autoritate deducitur. Plura vide apud Augustin. lib. 18. de Civit. Dei cap. 41. 4^o CONSENTIENTER. Sola enim Scriptura sacra juxta Augustin. lib. de unitat. Ecclesiae c. 3. absque ulla partium disceptantium dubitatione est verbum Dei, quando scribit, sunt certè libri dominici, quorum autoritati utriq̄ue consentimus, utriq̄ue credimus, utriq̄ue servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. 5^o FINALITER, quia tota scriptura sacra ad unum tendit finem, æternam nimirum salutem nostram; licet enim variet modo, est tamen unum opus continuum, quod eadem semper nos docet credere & agere, non alia in historiis, alia in concionibus, alia in vaticiniis, alia in aliis partibus) *Immutabilitatem, infallibilitatem* (verba enim eius sunt fidelissima & vera Apocal. 21. v. 5. quæ tanquam ipsam veritatem Johan. 17. v. 17. in eternum manentem Psalm. 117. v. 2. non aufert Esai. 31. v. 2. sed custodit Psalm. 146. v. 7. credamus inquit Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis c. 35. & consentiamus autoritati sacrae Scripturae quæ nescit falli & fallere) 3^o *principii generalis rationem & qualitatem.* (Nos enim & Papistæ Scripturam sacram, fatente Bellarmino lib. 1. de verbo Dei cap. 2. pro verbo Dei agnoscimus, quam etiam sect. 5. ad 14. vocat regulam certissimam, notissimam, tutissimam) 4^o *Eiusdemq̄ cum normato ἰσότητι sive Aequalitatem.* (Si enim fides nostra brevior aut longior, angustior vel latior esset, quàm scriptura, hæc nullo modo regula fidei adæquata dici posset, nisi quis prodigiosa absurditate concedere velit, effectum nobiliorem & præstantiorem esse sua causa, & imperfectum seu obliquum posse efficere & constituere perfectum ac rectum) 5^o *& Identitatem* (Necessesse

esse

Patricola inepti-
unt, quando à no-
stris petunt, ut in
terminis termi-
nantibus ex scri-
pturis ipsis demon-
stretur, non esse
purgatorium: cum
enim norma &
normatum sint
homogenea, seque-
retur, purgatori-
um verbum Dei
esse.

Vnicum verbum
ceu adæquatam ac
totalem regulam
& normam, sine
ulla mentione ali-
arum normarum
Deus, cuius solius
est canonem fidei
& cultus præscri-
bere, omnibus o-
mnium ordinum
hominibus in ne-
gotio religionis,
non modo omni
proposuit tempore,
sed & ad hoc solū
omnes in univer-
sum, ut illud audi-
ant, legant, scru-
tentur, doceant, ac
ex illo in Ecclesia
de quibuscunq;
Doctorum pro-
nunciatis iudicent,
omniq; veritatis
κεκτημεθα
expendant, remisit
ac restrictit.

cesse enim est, ut inter normam & normatum sit ἐμμετρία) ad quam ceu ad cynosuram in fide & pietate, omnibusque nostris symbolis Oecumenicis confessionumque formulis, quæ respectu verbi Dei ceu mensuræ mensurantis solummodo mensuræ mensuratae sunt, unicè nobis respiciendum.

XV. III. Hanc Deus solam, ut adæqua-
tam, in verbo, sub anathematis poena se-
quendam, omnibus proposuit;

Sic enim alloquitur populum suum. Levit. 10. v. 11. *Doceatis filios Israël omnia illa statuta, quæ edixerit Jehova eis per Moysen.* Levit. 18. v. 2. & seq. Ego sum Jehovah scil. au-
thor & vindex constantissimus atque certissimus mearum
legum, secundum opera terræ Ægypti, in qua habitastis, ne
facitote, similiter secundum opera terræ Canaan in quam
duco vos, ne facitote, & in statutis eorum ne ambulatote,
sed *judicia mea* exercetote, & *statuta mea* observatote ambu-
lando in eis: ego sum Jehovah Deus vester, si observabitis
statuta mea, & judicia mea. Numer. 15. v. 39. & 40. Erit autem
vobis peniculamentum, ut videntes illud recordemini
omnium mandatorum Jehovæ, & faciatis omnia mandata mea;
Quæ, ut & sequentia, dicta non de verbo viva tantum vo-
ce, sed & scripto tradito intelligenda sunt; Sic enim Exod.
34. v. 27. mandat Dominus Moysi: *Scribe tibi* (scil. in libro le-
gis authentico de quo Exod. 17. v. 14.) verba hæc, quia ex
præstituto horum verborum pango tecum foedus & cum
Israële, quod mandatum quàm diligentissimè Moses exe-
cutus est, Exod. 24. v. 3. 4. Veniens ergo Moses cum enarra-
visset populo omnia verba Jehovæ, & *omnia illa jura,* supe-
rioribus 4. capitibus comprehensa, respondit populus una
voce, dixeruntque, omnia hæc verba, quæ edixit Jehovah
faciemus,

faciemus, itaque *scripsit* Moses omnia verba Jehovæ, &c. verba Deuter. 27. v. 27. maledictus qui non permanferit in sermonibus legis huius, de verbo *scripto* explicat Paulus ad Galat. 3. v. 10. maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus, quæ *scripta* sunt in libro legis, ut faciat ea. Deut. 28. v. 58. Nisi observans feceris (loquitur autem de omnibus mandatis Domini, ad quorum observationem v. 1. & 15. populum adhortatur) omnia verba legis huius, quæ *scripta* sunt in libro hoc. Deut. 31. v. 11. & sequent. non modo univcrsum populum ad legem, quam v. 9. *scripsit*, sed & Deuter. 17. v. 18. Regem ipsum remisit, cum in fidebit folio regni fui, *describet* sibi exemplum huius legis in *libro*. Plura vide Luc. 1. v. 3. 4. 24. v. 25. 27. 1. Cor. 15. v. 3.

XVI. Deuter. 4. v. 1. Nunc ergo Israël attende ad statuta judiciaque illa, quæ ego doceo vos facere, ut vivatis & ingressi, hæreditario jure possideatis terram istam, quam Jehovah Deus maiorum vestrorum dat vobis. v. 2. *Ne addite ad verbum illud* seu ut in Hebræo legitur, *super verbum, quod ego præcipio vobis neque detrahite de eo*; Cur? *ut servetis* scil. integrè sine ulla vel additione vel diminutione) *præcepta Jehovæ Dei vestri*. Mosèn verò non solum de præceptis ambulatoriis cæremonialibus scil. & judicialibus, sicut Beccanus vult, sed & moralibus loqui, ex toto contextu patet. In versu enim 8. mentionem facit universæ legis; in vers. 10. Promulgationis in monte Horeb, in v. 13. decem verborum & duarum tabularum lapidearum; in v. 15. Idololatriæ & sculptilium; tandem v. 39. & 40. in *genere concludit*. agnoscas igitur hodie & revoces (videlicet in posterum) in animum tuum, Jehovah Deum ipsum esse in Coelis supernè, & in terra infernè, nullum amplius esse. Et *observes statuta eius & præcepta eius*, quæ ego præcipio tibi hodiè, quibus benè sit tibi & filiis tuis post te, ut prolonges semper dies.

Mandatum hoc
perpetuum est &
non ambulatori-
um.

C

XVII. Deut,

XVII. Deuter. 5. v. 32. Observabitis igitur, ut faciatis quemadmodum præcepit Jehovah Deus vester vobis, *ne recedatis* (ullam in partem, ullo pacto) *dextrorsum aut sinistrorsum*. Tota illa via (tanquã regia) quam præcepit Jehovah Deus vester vobis, itote, ut vivatis & benè sit vobis, & prolongetis dies. In qua sanctione tria sunt prohibita. 1. Omnes leges, legi Dei è diametro oppositæ, quacunq; id fiat intentione & quocunq; modo, sive ipsa *praxi*, qualis est omnis ἀποστasia à vera religione, & communio cum sacris idololatricis, sive *expresse*, qualis abrogatio cultus à Deo mandati, & institutio novi, humano ingenio conficti, extat in historia Jerobami 1. Reg. 12. vers. 28. nolite ultra ascendere in Jerusalem, quæ vox opposita erat legi Exod. 34. v. 23. Eiusdem notæ fuit decretum Regis Achazi 2. Reg 16. v. 15. datum Uriæ Sacerdoti, contrarium legi Exod. 29. & 1. Reg. 8. v. 22. Huc pertinet Apostasia Deuter. 32. v. 15. Jud. 10. v. 10. 2. Reg. 20. v. 21. Esai. 1. v. 4. Jerem. 1. v. 16. Ezech. 22. vers. 4. Daniel. 11. v. 30. Ose. 4. v. 10. Secundus inhibitionis gradus est eorum, qui ea quidem, quæ Deus instituit, lata lege non abrogant; sed una cum cultu à Deo instituto idololatriam sectantur, quales fuerunt Samaritani. 2. Reg. 16. 17. 32. Tertius verò eorum, qui directè legi nil opponunt, neque Ethnicam Idololatriam cultui divino manifestè admittunt, sed divinis mandatis bona intentione aliquid addunt, sine Dei mandato, vel cultum novum instituunt, vel eum qui mandatus est, alio, quàm fuit præceptum, modo exercent, cuiusmodi sunt jejunia Zachar. 7. omnesq; ἐθελουθρησείας Pontificiæ sub bonæ intentionis titulo zelo præpostero excogitatæ.

XVIII. Deut. 12. v. 28. Commendat Deus in genere populo suo maximè autē Sacerdotibus, quos versu præcedente alloquitur, præcepta sua dicens: observa ut auscultes omnibus

Præcepta humana extra & præter legem Domini scriptam propria, licet bona intentione ad colendum Deum inventa, minimè observanda sunt.

omnibus verbis istis, quæ ego præcipio tibi, ut benè sit tibi & filiis tuis. vers. 30. Cave tibi ne sequendo cas illa quæ postquam perditæ fuerint à facie tua, & ne exquiras de Diis earum, dicendo, quomodo coluerunt gentes istæ Deos suos, ut sic faciam ego quoque. vers. 31. Nefacito sic Jehovæ Deo tuo: nam quicquid abominationi est Jehovæ, quicquid odit, fecerunt Diis suis, cum etiam filios suos & filias suas comburant, igne offerentes Diis suis. Ubi tandem v. 32. non in specie de sacrificandi præcepto, sed in genere, de tota lege Mosaica (quæ tum secundum omnes partes Exod. 19. v. 2. 24. v. 34. Deuter. 5. v. 22. 31. erat promulgata & scripta) subiicit, unam quamque rem seu uti in Hebræo, *Omne verbum* (tota enim lex secundum Judæos est unum Soph Pa-suck veluti Scholastici loquuntur, una copulativa) *quod ego præcipio vobis, illud observantes facite, ne addito ei, neque detrahito ex eo.* Instituit ergo Moses populum & Sacerdotes, quomodo Deus ab ipsis coli debeat, nempe non sicut gentes Deos suos coluerunt, sed sicut ipse illis præcipiat & præscribat, propterea etiam cap. 13. seq. v. 3. & 4. statim subiicit; Ne auscultato verbis Prophetæ istius, aut isti somnianti somnium, quia tentat Jehovah Deus vester vos, ad cognoscendum, an sitis amantes Dei vestri ex toto corde vestro & ex toto animo vestro, *Iehovam Deum vestrum sequimini & ipsum timeate, & mandata eius observate ac voci eius auscultate, eumque colite & adherete ei.* Deuter. 17. v. 8. & seq. Synedrales iudices ex Politico & Ecclesiastico ordine electi, vi textus Hebræi ad os legis adstringuntur: Verba enim in v. 10. facies secundum os legis, non sunt absoluta promissio, sed *necessaria normæ conditio*, ad quam non solum communis hominum fex uti Jesuitis placet, sed v. 11. etiam Sacerdotes, v. 18. Reges, imò Moses ipse Exod. 34. v. 27. alligatur, quem Deus sic alloquitur: *Scribe tibi verba hæc, quia ex præstituto horum*

verborum pango tecum foedus; huc pertinet dictum Ezech. 44. vers. 24. in lite autem ipsi insistenti juri, *secundum jura mea* judicanto illam, legesque meas & statuta mea, cum omnibus solennitatibus meis observanto.

XIX. Esa. 8. vers. 9. & seq. Nonne populus recurret ad Deum suum (in Hebræo usitato Scripturæ modo Deos suos) num pro vivis (Diis hoc est Deo vivo) mortuos? ad legem magis & testimonium, quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux, ἐρμηνεύτικὸν φῶς hoc est, interpretandi jubar. Illustre hoc testimonium (in quo Propheta non tantum docet, Pythonissas & Ariolos audiendos non esse, sed è contra quoque ad Deum ipsum eiusque verbum Legem & Testimonium, tanquam ad medium quoddam, quo Deus ipse in causis & casibus dubiis requiri possit & debeat, nos remittit) eò melius ut intelligatur, sciendum, Ethnicos, Pythones, Ariolos & Augures non tantum de futuris eventibus, sed etiam de cultu & voluntate Deorum in casibus in primis dubiis *quid faciendum* sicuti 1. Sam. 28. v. 15. Saulis exemplum edocet, consuluisse, propterea Moses Deut. 12. v. 30. 31. & 18. v. 9. Israelitas sedulo hortatur, ne in Deo suo colendo, abominationes gentium terræ Canaan imitentur & subiicit v. 14. gentes istæ, quarum possidebetis terram Augures & Divinos *audiunt*, tu autem à Deo tuo aliter institutus es. Loquitur ergo Propheta non de futuris tantum eventibus, utpote qui in Bibliis nullibi testimonia vocantur, sed de omnibus omnino dubiis & controversiis, sive fidei, sive cultus, sive morum sive aliarum rerum gerendarum, ideoque ab illis ad Deum viventem in verbo legis & testimonii, hoc est, in scripto Dei verbo nobis loquentem, auditores suos gravissima hâc comminatione revocat, quòd si non dixerint, docuerint aut fecerint juxta verbum hoc, lucem matutinam non habituros.

habituos. Ad quem locum egregiè Theodoretus Dial. 2. Ego non adeò perfidè confidens sum, ut aliquid audeam affirmare, quod Scriptura silentio præterit.

XX. Probaturus Christus contra Judæos Joh. 5. v. 37. & seq. se verè esse Filium Dei à Patre in mundum missum, non tantum producit testimonium Johannis & miraculorum suorum, sed etiam provocat ad verbum Patris sui: quia verò ille non semper viva voce sicut in monte Sinai Exod. 20. v. 18. 22. & ad Jordanem è Cælo Matth. 3. v. 17. loquitur, loco Patris sui, cuius vocem Judæi tum disputantes nunquam audiverant, *Scripturam sacram producit*, ad quam tanquam ad perfectam & infallibilem normam in summo religionis articulo de vera sui cognitione & vitæ æternæ consecutione, eos remittit, ac ut illas scrutentur hortatur; *Scrutamini Scripturas*; Cur? quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.

XXI. Galat. 6. v. 6. & seq. Paulus generali anathemate & ipsos *ἑτεροδόξους*, quicumque illi sint, & omnia illorum dogmata quantumvis minima, quæ non solum contra, sed etiam præter Evangelii doctrinam sub religionis prætextu obtruduntur, damnat, dum scribit: Miror quod tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi *in aliud* Evangelium, quod non est aliud, nisi sint aliqui, qui vos conturbant, & volunt pervertere Evangelium Christi sed licet *nos* aut *Angelus* de Cælo Evangelizet vobis *præterquam*, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit, sicut prædiximus & nunc iterum dico: Si quis Evangelizaverit *præter* id, quod accepistis, anathema sit. Apostolum verò non modo assertiones Evangelio contrarias, sed quasvis additiones anathemate damnare, exinde patet, quod impostores *directè* non docuerunt contra, sed *præter* Evange-

Quicquid præter Evangelium scriptum (quod cum prædicato, teste Irenæo l. 3. c. 1. plane idem est) traditur, anathemati subiicitur. Traditiones extra & præter Scripturas, præter Evangelium traduntur. Ergo anathemati subiiciuntur.

lium Pauli. Non enim directè abiiciebant fidem, sed fidei addebant legalia: nec negabant, nos fide justificari, sed addebant, nos etiam operibus justificari. Eodem planè modo dictum hoc illustre interpretati sunt orthodoxi patres. Chrysofom. in Comment. super hunc locum. Non dixit Apostolus, si *contraria* annuntiaverint, aut totum Evangelium subverterint, verùm si vel *paululum* (hoc est, si minutum, exiguum, vel minutissimum) aliquod evangelizaverint *preter* illud Evangelium, quod accepistis, etiam si quidvis labefactaverint, anathema sit. Et paulò post. Abraham cum rogaretur, ut Lazarum mitteret respondit; Habet Mosen & Prophetas, si illis non crediderunt, neque mortuis resuscitatis credituri sunt. Hic autem Christus ipse inducit in parabola loquentem Abrahamum, declarans, se velle plus fidei habendum esse *Scripturis*, quam si mortui reviviscant. Paulus verò (porrò cum Paulum dico, Christum dico, hic enim erat, qui mentem illius agebat) etiam *Angelis* è Cœlo descendentibus præponit *Scripturas*, idq; valdè congruenter. Siquidem Angeli, quamlibet magni, tamen servi sunt ac ministri: Cæterum *omnes Scripturæ* non à servis, sed ab universorum Domino Deo venerunt ad vos. Augustin. l. 3. contra literas petilianic. 6. Sive de Christo, sive de eius Ecclesia, sive de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei, qui dixit, licet si nos, sed omninò, quod secutus adjecit, si Angelus de Cœlo vobis annuntiaverit, *preterquam quod in scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.* Idem in libro de unitate Ecclesiæ cap. 12. *Quisquis aliud evangelizaverit, preter id, quod Scripturis sanctis ostenditur, anathema sit; & mox: aut legat mihi hoc in Scripturis Sanctis, & non sit anathema.* Et lib. 17. cont. Faust. Manichæ. cap. 3. Nos autem non propterea dicimus, non credendum esse
Manichæo,

Manichæo, quia dictis factisque Christi non interfuit, & longè post natus est: sed quia de Christo contra Christi discipulos loquitur & contra Evangelium, quod illorum auctoritate firmatum est. Habemus enim Apostoli vocem, qui in Spiritu Sancto tales venturos esse cernebant, unde fidelibus dicebat, si quis vobis evangelizaverit. Vide etiam Basilium in moralibus sum. 72. cap. 1. Epiphani. hæres. 42. lib. 1. tom. 3.

X XII. Hinc Johannes non modò Apocalypsin suam, sed & totum sacrum codicem hisce finire voluit verbis: Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro vitæ & à civitate sancta, & ex his quæ scripta sunt in libro isto. *Quæ sanè contestatio ita libro huic adiicitur, ut tamen ex sententia Patrum & Scholasticorum propter similitudinem phrasæ locorum superius allegatorum, secundariò sit commune signaculum omnium librorum scripturæ sacræ.* Sicut enim libro Apocalypseos nihil addendum, nihil adimendum, ita nec aliis libris, ac proinde soli Scripturæ, postquam canon eius à Johanne Apostolo, qui postremus omnium Apostolorum vixit, ultimò & tam vehementi contestatione obsignatus est, adhærendum & acquiescendum. Ita enim Irenæus lib. 5. advers. hæres. apponenti vel auferenti de Scriptura pœna non modica. Tertulianus advers. Hermogenem; Scriptum esse doceat Hermogenis officina, si non est scriptum, timeat vè illud adiicientibus aut detrahentibus destinatum. Ambros. lib. de parad. c. 12. docet præceptis divinis nil addendum nil detrahendum, si enim Johannes hoc judicavit de suis scriptis, si quis apposuerit ad hæc, adiiciet in illum Deus plagas, quæ scriptæ sunt in libro isto, & qui dempserit de verbis

bis

bis Prophetæ huius, delebit Deus partem illius de libro vitæ, quanto nihil divinis mandatis est detrahendum. Johan Duns Scotus in prologo sentent. quæst. 3. Sicut Theologia beatorum habet terminum, ita & nostra, ex voluntate Dei revelantis. Terminus autem præfixus à voluntate divina, quantum ad revelationem generalem est eorum, quæ sunt in Sacra Scriptura, quoniam sic habetur in Apocalypsi ultimo: qui apposuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas, quæ apponuntur in libro isto. Igitur Theologia nostra de facto non est, nisi de his, quæ continentur in Scriptura & de his, quæ possunt elici ex ipsis. Ex quibus omnibus à minori ad maius argumentamur. Si Apocalypsis nullam admittit additionem humanam, multo minus tota Scriptura, cum par sit ratio omnium librorum, instinctu Spiritus Sancti conscriptorum: At prius est, ergo & posterius, id quod erat concludendum.

XXIII. IV. Hanc ut normam pii omnes tam Vet. quam Novi Testam. in religionis & cultus negotiis sunt Secuti;

Quod probatur. Controversia gravissima Josuæ 22. an rectè fecerint Rubenitæ, Gadditæ & dimidia tribus Manasse, altare in finibus suis extruendo? non per Pincham Sacerdotem, qui cum reliquis principibus actor & accusator erat, sed per legem scriptam Levit. II. v. 3. & seq. ita fuit decisa, ut reliqui Israëlitæ, qui altare illud contra legem Mosis Sacrificiis destinatum esse existimarent, facilimè acquiescerent. Iosua in comitiis verbum Dei commendat universo Israëli cap. 23. v. 6. 7. Confortamini, & estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Mosis, ne recedatis ab eo dextrorsum aut sinistrorum, sed adhæreatis Domino Deo vestro. David Salomonem filium suum
ad

ad normam scripti verbi non modò obstrinxit (1. Reg. 2. v. 3. Et observabis observationem Jehovah Dei tui, ambulando in viis eius, servando *statuta eius, & praecepta eius, iudiciaq; eius & testimonia eius, sicut scriptum est in lege Moſis*) sed & ipsam quoq; in fide, cultu & vita quàm diligentissimè observavit; lex Domini inquit Psalm. 19. v. 8. & seq. immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiã præstans parvulis, iudicia Domini vera, justificata in semetipsis, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multũ, & dulciora super mel & favum, & servus tuus docetur in eis. Psalm. 119. v. 23. confidentibus Principibus, de me sermones frequentantib. servus tuus *meditatur de statutis tuis.* vers. 24. tum testimonia tua oblectationes meæ, *Consiliarii mei,* seu, uti in Hebræo, *homines consilii mei.* v. 30. viam veritatis eligo *judiciorum tuorum propono* (mihi) vers. 31. *inhereo* testimoniis tuis Jehovah, &c. v. 33. Doce me Jehovah, *viam* statutorum tuorum, quam custodiam in finem usque. vers. 43. Sed ne abripe ab ore meo *verbum verum admodum* (in Hebræo, veritatis admodum) quandoquidem *jura tua* expecto. v. 51. Superbi iniquè agebant usque quaq; à lege autem tua non *declinavi.* v. 69. multiplicata est super me iniquitas superborum, ego autem in toto corde meo *scrutabor* mandata tua. vers. 78. erubescant superbi, quod falsis de causis pervertant me, *meditante* me de mandatis tuis. v. 98. inimicis meis sapientio rem me reddidisti *praeceptis tuis;* vers. 99. omnibus Doctoribus meis intelligentior fio, quia testimonia tua, *meditatio mea* sunt. v. 102. à *judiciis tuis* non recedo, quia tu doces me. v. 104. *Mandatis tuis* prudens sum. v. 105. Lucerna pedi meo *verbum tuum,* & lumen semitis meis. v. 110. Ponentibus improbis laqueum mihi, à *mandatis tuis* non aberro.

XXIV. Josaphat Rex in solenni reformatione visita-

D

toribus

toribus à se constitutis, Sacerdotibus & consiliariis politicis, nullam aliam normam, unde populum erudirent exhibuit, præter *librum legis Domini* 2. Paralip. 17. v. 7. 8. 9. Amasias Rex cum 2. Reg. 14. v. 5. 6. obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant Regem, Patrem suum, filios autem eorum qui occiderant, non occidit, juxta *quod scriptum est in libro Moysis*: Non morientur patres pro filiis, neque filii pro patribus, sed unusquisque in peccato suo morietur, Deuter. 24. v. 16. Ezech. 18. v. 20. Ezechias Rex secundum *judicium mandatum & imperium Domini*, 2. Reg. 18. v. 4. 5. 6. 2. Paral. 29. v. 15. 31. v. 20. 21. reformationem & veri Dei cultus instaurationem instituit, excelsa & altaria in honorem Dei etiam bona intentione extructa, destruens. Secundum verba, quæ scripta erant in libro legis ab Helcia in domo Domini invento, reformavit quoque Josias Rex Ecclesiam. Cum enim ex illo summo cum dolore cognovisset Rex, Patres à vero cultu Dei in lege præscripto recessisse, inquit: Patres nostri non audiverunt verba *libri huius*, ut facerent *omne quod scriptum est nobis*, congregatisque omnibus senioribus Juda & Jerusalem, ascendit Templum Domini & omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem cum eo, Sacerdotes, Prophetæ & omnis populus à parvo usque ad magnum; & *legit*, ipsis audientibus, *omnia verba libri fœderis*, qui inventus fuerat in domo Jehovæ. Deinde stans Rex in statione sua, pepigit fœdus ipsum coram Jehovah, se sequuturum Jehovam, & *observaturum præcepta eius, testimoniaque eius & statuta eius*, ex toto corde suo, ex toto animo suo, præstando verba fœderis illius, quæ scripta sunt in libro illo. 2. Reg. 23. 2. Paral. 34. vers. 29. & seq.

XXV. Post exilium Babylonicum Zorobabel Princeps, Nehemias & Esdras veram religionem & Dei cultum
ad

ad unicam legis scriptæ normam restaurarunt. Ædificârunt enim altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocausto-
mata *sicut scriptum est in lege Mosi* viri Dei Esdr. 3. v. 2. Fece-
runt solennitatem tabernaculorum, *sicut scriptum erat in le-
ge*, & à Domino præceptum in manu Mosi Esdr. 3. v. 4. Ne-
hem. 8. v. 14. 15. Statuerunt Sacerdotes in Ordinibus suis
& Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem *sicut
scriptum erat in libro Mosi* Esd. 6. v. 16. Pactum denique fece-
runt cum populo, ut ambularent *in lege Domini*, quam de-
derat in manu Mosi, servi Dei, ut facerent & custodirent
*omnia mandata Domini & iudicia eius & ceremonias eius, sicut
scriptum est in lege Mosi & Domini*, Nehem. 10. v. 29. 34. 36.

XXVI. Quæstio gravissima, an alienigenæ uxores sint
retinendæ vel dimittendæ? Secundum legem fuit decisa;
in die enim illo *lectum est in volumine Mosi*, audiente populo,
& iuventum est *scriptum* (Deut. 23. v. 3.) quod non debeant
introire Ammonites & Moabites in Ecclesiam Dei usque
in æternum, Esdr. 9. v. 10. & seq. Judas Maccabæus & fra-
tres eius secundum legem destruxerunt altare à gentibus
prophanatum, & obtulerunt sacrificium *secundum legem*, 1.
Maccab. 4. v. 47. 53. Propterea etiam Judicibus & Regibus
Scriptura Sacra Deut. 17. v. 18. tam sollicitè fuit commen-
data; postquam Rex sederit in solio regni sui, describet sibi
exemplum huius legis in libro, ex eo, qui erit in conspectu Sa-
cerdotum Leviticorum, eritque penes eum, & *leget in eo*,
omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Jehovam Deum
suum, observare omnia verba huius legis & statuta ista, fa-
ciendo ea; & ne recedat ab hoc præcepto dextorsum aut si-
nistorsum.

XXVII. Sic in Novo Testamento, dubium, de loco
nativitatis Christi, Concilium Hierosolymitanum decidit
ex scriptura Matth. 2. v. 5. Abraham fratres divitis Epulonis

non nisi ad *Mosen & Prophetas scriptos*, Luc. 16. v. 29. cælitus relegavit. Varios & duros cum Diabolo, Pharisæis & Scribis in tentationibus & negotio religionis, sustinuit Christus congressus, an conversandum cum publicanis Matth. 9. v. 13. Matth. 4. v. 3. & seq. an à discipulis esurientibus, spicas vellicantibus & manducantibus Matth. 12. v. 1. Marc. 2. v. 23. Luc. 6. v. 1. & seq. Sabbathū prophanetur? an bonis operibus vitā æternā consequi possimus, Luc. 10. v. 25? An liceat homini quacunq; de causa dimittere uxorem Matth. 19. v. 34. Marc. 10. v. 2? Quodnam in lege sit maximum præceptum Matth. 22. v. 36. Marc. 12. v. 28? An Christus tantum sit Filius Davidis Matth. 22. v. 42? Omnium tamen decisionem è sola sacra petiit Scriptura. Ex eadem per bonam & legitimam consequentiam os obstruxit Sadducæis Matth. 22. vers. 29. & seq. E Mose & omnibus Prophetis deduxit Messiam debuisse pati, mori, resurgere Luc. 24. v. 25. & seq.

XXVIII. Idem in disputationibus & concionibus quàm diligentissimè observârunt *Apostoli*. In hodiernum diem ait *Paulus* Act. 26. v. 22. sto, testificans maiori atque minori, nihil extra dicens, quam ea, quæ *Prophete* locuti sunt futura esse & *Moses*. v. 24. hæc autem loquente eo & rationem reddente, &c. rationem autem fidei ex solo Dei scripto verbo, extra quod nihil proposuit, reddidit. Judæorum repudium & assumptionem Gentium probat Act. 13. v. 46. ex Esa. 49. v. 6. Roman. 15. v. 9. & seq. ex Psalm. 18. v. 50. 117. v. 1. Esa. 11. v. 10. 52. v. 15. Deut. 32. v. 45. Passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem & exaltationem Christi ad dextram Dei, confirmat *Paulus* Rom. 15. v. 5. ex Psalm. 68. v. 10. 1. Corinth. 15. v. 3. 4. 25. 55. ex Psalm. 110. v. 1. Ose. 13. v. 14. Ephes. 4. v. 8. ex Psalm. 68. v. 19. Hominem non ex lege & eius operibus, sed gratis, sola fide in Christum justificari, probat Rom. 1. v. 17. ex Habac. 2. v. 4. Roman. 4. v. 3. ex Genes.

Genes. c. 15. v. 16. Psalm. 32. v. 1. Propterea etiam in Epistolis suis, frequenter ad Scripturam Vet. Testamenti formulis consuetis (sicut *scriptum est* Rom. 1. v. 17. I. Corinth. 2. v. 9. 10. v. 7. *Scriptum est enim* Rom. 12. v. 19. 14. v. 11. I. Cor. 1. v. 19. *in lege scriptum est*. I. Corinth. 15. v. 46. Galat. 3. v. 10. 13. & alibi passim) provocat.

XXIX. Apostolum *Petrum*, qui in Epistolis suis frequenter Scripturas Prophetarum allegat, ac *ἰδίαν Πίλυσιν* 2. Epistola 1. v. 20. reiicit, in concione quadam dixisse *ὅτι οὐκ ἔστιν ἄλλο ἄλλοι λέγομεν*, nihil absque scriptura dicimus, testis est Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. edit. Comel. p. 288. Probaturus enim ex Scriptura, in locum Judæ proditoris alium eligendum esse, producit Act. 1. v. 20. 21. Psalm. 69. v. 26. Effusionē Sp. S. super Apostolos demonstrat Act. 2. v. 16. ex Joëlis 2. cap. v. 28. passionem, mortem, sepulturam & resurrectionem Christi, Act. 2. v. 25. ex Psalm. 16. v. 10. 110. v. 1. gratuitam deniq; remissionem peccatorum Act. 10. v. 43. ex testimonio omnium Prophetarum. *Apollo* vir in Scripturis potentissimus & exercitatissimus, ex iisdem Act. 18. v. 28. Judæos convicit publicè.

XXX. Hinc factum, ut olim à fidelibus secundum hanc normam, etiam ipsorum & Apostolorum doctrina fuerit examinata. Thessalonicenses & Beroenses Act. 17. Verbum Dei à Paulo v. 2. è scriptura (an scil. Messias debuerit pati, mori, resurgere, & an ille sit Dominus noster Jesus Christus?) prædicatum, cum omni alacritate susceperunt, quotidie *scrutantes Scripturas*; Cur? ut certò cognoscerent, an *hæc*, quæ Paulus è scripturis de morte & resurrectione Christi prædicabat, *ita* & non aliter se haberent; quo ipso palam testati sunt, se per Scripturas tanquam fidei medium ordinarium infallibiliter cognovisse, in diesque per illarum scrutinium magis magisque confirmatos fuisse; omnia illa,

D 3

quæ

Secundum Scri-
pturam non modò
Apostolorum do-
ctrina, sed & c-
omnia veritatis
κρίτηρια
sunt expendenda,
cuiusmodi sunt
miracula. Matth.
24 v. 24-25. Au-
gust. l. 10. de unit.
Ecclesia. Responsa
Angelorum Gal. 1.
v. 9. Revelatio-
nes interne 2.
Thessal. 2. v. 12.
1. Ioh. 2. v. 1. Tra-
ditiones Ecclesia,
Doctorumq; sen-
tentia.

quæ Paulus de Christo publicè afferebat, vera esse; proinde vers. 4. subseq. statim subjungitur: Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti sunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ nō paucæ.

XXXI. V. Hanc deniq; vetusta Concilia.

In primo Concilio Hierosolymitano, Apostolus Jacobus in quæstionibus de vocatione gentium, necessitate legis & circumcisionis, Actor. 15. v. 15. *ad Prophetiam Amos cap. 9. v. 11.* provocat. Constantinus Magnus teste Theodoretol. 1. histor. c. 7. & Tripart. l. 2. c. 6. Patres & Episcopos in Synodo Nicæa, adversus hæresin Arrianam congregatos, ad Sacram Scripturam hisce obstrinxit verbis: *Evangeliici libri & Apostolici & antiquorum Prophetarum divina sanctiones, perspicue nos, quæ oporteat de numine sentire, erudiant.* Expellentes igitur hostilem contentionem, *ex verbis divinitus inspiratis*, capiamus quæstionum solutionem. Illos verò emblemata hoc Cæsareum sempiterna memoria dignum, quàm diligentissimè observâsse, testis esse potest Athanasius in Epistola ad Epietum Corinthiorum Episcopum, ubi scribit: Fidem à Patribus in Concilio Niceno *secundum Sacram Scripturam* traditam; Et in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ: Nicææ congregati Episcopi, collectis in unum, *quæ ex sacris literis ad sententiam suam tuendam* satisfacerent, liquidius rem exponentes, Filium consubstantialem esse asseverârunt; Quo etiam respexit Ambrosius libro 1. de fide ad Gratian. Imperat. cap. 8. scribens: Deus igitur ex Deo, lumen de lumine, verus Deus de Deo vero, ex patre natus non factus, unius substantiæ cum Patre: Sic nempe nostri *secundum Scripturas dixerunt Patres.* Theodoretus l. 1. c. 8, ex Epistola Athanasii ad Afros commemorat,

pag. 453. edit.
Commel.
pag. 709.

memorat, *ex Scripturis* Arrianos damnatos, veramquē & orthodoxam sententiam stabilitam fuisse. Alexander Episcopus Alexandr. in Epistola Catholica ad Episcopos orbis terrarum scribit: Arrium & Socios in Concilio centum Episcoporum, *ex Scripturis* erroris convictos fuisse, Socrates lib. 1. c. 6. Et in Epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum, se præter reprobationem vesanæ doctrinæ (Arrii & sociorum) *divinas literas revolvisse*, & proposuisse illud, quod in Psalmis de Christo dictum fuit, à Johanne, Paulo &c. Theodoret. 1. 1. c. 4. Evagrius in *περοφωνήσει* ad Martian. Imper. dicit: Synodum Nicenam non *extra Scripturam sanctam*, Patrem, Filium & Spiritum S. *ὁμοούσιον* finxisse, sed *divinitus inspiratis eloquiis explanasse*. Tom. 1. Concil. p. 941. Quæ omnia tam clara sunt, ut etiam Bellarmino lib. 2. de Concil. c. 12. ingenuam veritatis Confessionem extorserint, quando scribit: Cum Nicenum Concilium definivit; Christum esse *ὁμοούσιον* Patri, *deduxit conclusionem ex Scripturis*, in quibus *disertè* continetur unum esse Deum, & Patrem esse Deum, ac Filium esse Deum, ex quibus sequitur necessariò, Patrem & Filiū eiusdem esse substantiæ ac divinitatis. Licet autem prænominati Patres Niceni, quoad *substantiam dogmatum*; Scripturam unicam veritatis normam in Concilio observârint; noluit tamen ad illud, tanquam mensuram mensurantem Augustinus revocare Adversarios, sic enim Maximinum (Tom. 6. operum l. 3. cont. Maxim. c. 14.) Arrianorum Episcopum alloquitur: Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium, nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris; *Scripturarum autoritatibus*, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causâ cum causâ, ratio cū ratione cōcertet. Utrique legimus, ut simus in vero filio eius Jesu Christo, ipse est
verus

Conclusiones Conciliorum secundum Bellarm. deducuntur ex ipsis Scripturis, ergo extant in Scripturis tanquam verbum & iudicium immediatum Spiritus S.

verus Deus & vita æterna, utrique tanti ponderis molibus cedamus. Et cap. 16. edit. Froben. Anno 1528. in genere scribit: Remotis ergo omnibus talibus, Ecclesiam suam demonstrent si possunt, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, *non in Conciliis Episcoporum suorum*, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus: sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis Sanctorum librorum auctoritatibus: hinc Athanas. in Epistol. de Synodis Arimini: Frustra circumcurstantes prætexunt, se ob fidem postulare Synodos, cum *Divina Scriptura* sit omnibus potentior. Et Hieron. in c. 5. ad Galat. Spiritus Sancti doctrina est, quæ *Canonicis literis prodita est*, contra quam si quid statuunt concilia, nefas duco.

XXXII. In Concilio Aquilegiensi paulò antè Constantinopolitanum contra Arrianos celebrato (in quo, uti Patres Concilii ad Gratianum, Valentinianum & Theodosium Impp. scribunt, propositæ fuerunt *in medium Scriptura, ostensumq; testimoniis illarum*, secundùm Divinitatem Patri æqualem esse Filium) Adversario dicitur, præsens est Apostolus, *omnes Scripturæ præsto sunt*, unde vis, astrue, si putas, non esse Filium Dei sempiternum; propterea etiam Sabinus, cum Palladius surrexisset & abire voluisset dixit; ideò surgit Palladius, quoniam *apertis Scripturarum testimoniis*, convincendum se esse cernit, sicut jam convictus est. pag. 401.

XXXIII. Patres in Concilio Constantinopolitano primo, Macedonianos *ex Scriptura* convicisse, eorumq; errores damnasse, publico rescripto attestantur Impp. Gratianus,

Tom. 1. Concil.
Colonienf. p. 395.
397. 398. 400.

tianus, Valentinianus & Theodosius, mandantes: Ut secundum Apostolicam disciplinam & Evangelicam doctrinam, Patris & Filii & Spiritus Sancti una Deitas, sub piâ Majestate & Trinitate crederetur, Tripart. lib. 9. c. 7.

XXXIV. In Concilio Ephesino primo, adversus Nestorium conscripto, Patres non modò aliquoties in ipsis canonibus ad Scripturam provocant, ex qua Nestorium unâ cum hæresi sua anathematizant; sed & ex eadem quoque definitivè, pro orthodoxa sententia ita concludunt: Hæc sapere edocti sumus, tam à sanctis Apostolis, quàm Evangelistis & ab omni Scriptura divinitus inspirata, nec non à beatis Patrum Confessionibus, veritate subnixis. Hinc in literis ad Theodos. & Valentinianum Imp. referunt. Sequenti die in sancta & magna Ecclesia, quæ Mariana vocatur, congregati sumus, propositumque est in throno, qui medius erat in Ecclesiâ, Sanctum Evangelium, quod Christum nobis præsentem esse docet. Et in alia Epistola sententiam tulimus, adducto in medium Sancto Evangelio, quod nobis omnium Dominum, præsentem esse ostendit.

Vide Tom. 1. Concil. Col. p. 585.
Can. 1. 5. 6. 10.

XXXV. In Concilio Chalcedonensi adversus Eutychetis errores coacto, & Sacrosancta Evangelia in medio fuerunt proposita, & definitio etiam fidei, ab omni errore aliena, divinarum Scripturarum virtute munita, fuit prædicata. Tom. 1. Concil. p. 777. 869. Evagr. l. 2. c. 4.

XXXVI. Ex divina Scriptura, ut conclusio capitulorum Concilii 5. Oecum. Constantinop. act. 4. tom. 2. Concil. p. 92. habet, Theodori Mopsuestini, Theodoretæ & Ibas scripta, proscripita & damnata sunt; sicuti ex decreto Synodali patet, ubi Patres illius Concilii dicunt; Apostolos & Sanctos Patres in Conciliis non aliter voluisse de iis, quæ movebantur, definire, & de exortis hæresibus & questionibus disponere, priusquam communiter congregati, divinarum

E Scriptura-

Scripturarum testimoniis unusquisq; sua dicta confirmaverit; tandem subiiciunt, se illuminantes sibi ipsis lumen scientiæ, ex divinis Scripturis & Patrum doctrina certis capitulis comprehendisse, &c. Cent. 6. Magdeb. p. 525. 526. 535.

Concilium hoc damnabit Epistolas Sergii & Honorii Papa, quia aliena inventa fuerunt ab Apostolicis dogmatibus & à definitione S. Conciliorum & Sanctorum probabilium Patrum.

XXXVII. In Concilio 6. Oecumenico, Constantin. contra Monothelitas convocato, Imperator Deum testem invocat, quod principale suum desiderium extiterit, cum stabilitate conservare orthodoxam Christianorum fidem, *secundum doctrinam atque traditionem, quæ tradita est nobis tam per Evangelium, quam per sanctos Apostolos, & per statuta Sanctorum quinque; universalium Conciliorum, Sanctorumque; probabilium Patrum, & addit; quod voluerit Patres Concilii convenire, ad considerandum sanctas Dei Scripturas, quod etiam factum: In illo enim Concilio non modò Sacrosancta, immaculata & intemerata Evangelia Christi DEI nostri fuerunt proposita, sed & definitio facta sine mendacio, divinarum Scripturarum vigore polens, sanctorumque Patrum doctrinæ superscripta, ad confirmationem rectorum veritatis dogmatum. Tom. 2. Concil. p. 398. Cent. 7. Magd. pag. 442.*

XXXVIII. Idem quoque in antiquioribus Synodis fuit observatum. Cyprianus lib. 4. Epist. 2. scribit: Copiosum Episcoporum numerum convenisse, & ex Scripturis diu ex utraque parte prolatis statuisse, quomodo pax lapsis esset communicanda. Vide etiam Epist. 163. Augustin. hinc Cusanus Papicola, de forma veterum universalium Synodorum rectè scribit, morem fuisse, ut sacra Evangelica ponerentur in medio Synodi, ut admonerentur Patres, quibus præsidii & armis contra errores, pro veritate dogmatum in Conciliis pugnandum esset.

XXXIX. VI. Orthodoxi Patres.

Non

Non enim est tam infelix nostra causa, ut sese Patrum non audeat credere iudicio. Irenæus lib. 2. c. 47. Scripturam, libris Prophetarum & Apostolorum comprehensam, vocat regulam; lib. 1. c. 1. & lib. 3. cap. 1. κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινην Canonem veritatis immobilem, fundamentum & columnam fidei nostræ. Tertull. advers. Hermogenem, regulam veritatis: Athanas. de interpretatione Psalm. Magistram virtutis & veræ fidei; Et in Synops. ἀγκύρας καὶ ἐρείσματα τῆς πίστεως ὑμῶν, anchoras & sustentacula fidei nostræ; Basiliius Epistola 80. ad Eusthat. Medic. arbitrum inter disceptantes, & lib. 1. cont. Eunom. Canonem recti & normam veritatis: Gregorius Nyssenus, Unicam vitæ normam; August. lib. 2. de Baptis. contra Donatist. c. 6. & 14. Stateram Dominicam & Canonem Ecclesiasticum; Chrysostomus homil. 13. in Genesin amussim; homil. 33. in Act. Canonem & homil. 13. in post. ad Corinth. ἀκριβῆ ζυγὸν ἀπάντων καὶ γνώμονα καὶ κανόνα omnium exquisitam trutinam normam & regulam: ipsum autem Scripturam Sacram intelligere, ex consecratio addito liquet, ubi illicò subiicit: Quocirca vos omnes rogo atque obsecro, ut quid huic aut illi de his rebus videatur, nihil morantes, Scripturas Sacras de iis omnibus consulatis.

XL. Hinc ipsi Patres orthodoxi, quoties cum fidelibus, aut Scripturæ sacræ credentibus, negotium eis fuit, ex unico verbo Dei testimonia, ad probanda fidei dogmata adduxerunt, uti Dialogus cum Triphone Judæo attestatur, ubi Justinus Martyr ait, se ex sacris literis omnia, quæ asserat, probaturum, mihi inquit studio est, cuncta ad Scripturas referre, & ex illa argumenta & demonstrationes petere, addita ibidem ratione: si hoc confirmarem humanis doctrinis, non oporteret ferre, quod si Scripturam profero, voluntatem Dei necesse est vos agnoscere, cui Tryphon

E 2

ibidem

ibidem respondet, neq; te differentem sustinuissemus, nisi cuncta ad Scripturas referres, unde & demonstrationes adducere studio tibi est.

XLI. Idem in Disputationibus observavit Augustinus. Epist. 163. continuationem Disputationis cum Fortunio, Donatistarum Episcopo, urgens, scribit: qualiscunq; locus inventus fuerit ad Disputationem commodus, faciamus Codices Canonicos præsto esse. I. de unitate Ecclesiæ c. 3. non audiamus hæc dico, hæc dicis, sed hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum authoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utriq; servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Auferantur illa de medio, quæ adversus nos invicem, non ex divinis Canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quia nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari; in scripturis sanctis Canonicis eam requiramus. Et cap. 5. Hoc etiam prædico & propono, ut quæq; aperta & manifesta diligamus, quæ si in sanctis Scripturis non inveniuntur, nullo modo esset, unde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura. Super Psalm. 57. auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in medium codex Dei, audi Christum dicentem, audi veritatem loquentem, recitamus hæreticis, ecce Christus dixit. libr. 3. de doctrin. Christian. cap. 28. Per Scripturas divinas multò tutius ambulatur, quod controversiam habet, ex eadem Scriptura ubicunq; inventis & adhibitis testibus terminetur. lib. 2. contra Donatist. c. 6. Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave, hoc leve est; sed afferamus divinam stateram de Scriptura sancta, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa, quid sit gravius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Et cap. 14. Recurramus

mus

mus ad illam stateram Dominicam, ubi non ex humano sensu, sed divina authoritate, rerum momenta ponderantur. Lib. 3. de Trinit. c. 11. Extat authoritas divinarum Scripturarum, unde mens nostra deviare non debet, nec relicto solidamento divini loquii, per suspensionum suarum abrupta precipitari. Lib. 2. contra Cresconium Grammat. cap. 31. Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cum eius quaslibet literas à Canonica divinarum scripturarum authoritate distinguimus. Neque enim sine causa, tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & secundum quos de cæteris literis, vel fidelium vel infidelium liberè judicemus. Tria in hac sententia docet. 1. Unum esse Canonem Ecclesiast. 2. Eum esse S. scripturam. 3. Omnia secundum sacram scripturam esse judicanda. De bono viduit. cap. 1. Sancta Scriptura, nostræ doctrinæ regulam figit, non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba Doctoris tibi exponere. Et de pastoribus colum. 1065. tom. 9. constituit montes Israël, auctores scripturarum divinarum, ibi pascite, ut securè pascatis, quicquid inde audieritis, hoc vobis benè sapiat, quicquid extra est, respuite, ne erretis in nebula: audite vocem pastoris, colligite vos ad montes Scripturæ sanctæ, ibi sunt deliciae cordis vestri, ibi nihil venenosum, nihil alienum, uberrima pascua sunt.

XLII. Eandem sententiam, suo calculo approbant patres reliqui. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Necessè est labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam, tenuerint. Qui autem sunt eiusmodi, ut qui à recta via exciderint, meritò etiam falluntur in plurimis singularibus, propterea quod non habeant verorum aut falsorum judicium planè exer-

citatum in iis, quæ oportet eligere. Si enim haberent, parerent *Scripturis divinis*: quomodo ergò, si quis fiat bestia ex homine, similiter atque ii, qui fuerant infecti venenis Circes: ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæresium desiliit opiniones. Qui autem ex errore reversus, obediit *Scripturis* & vitam suam permisit veritati, Deus quodammodo ex homine efficitur. *Principium enim doctrinae habemus Dominum, qui & per Prophetas & per Evangelium, & per beatos Apostolos, multifarium multisque modis à principio ad finem deducit cognitionis. Et paulò post: Quare nec est principium id, quod opus habet iudicio. Meritò ergò cum fide comprehenderimus principium indemonstrabile, & ex redundantibus quadam copia demonstrationes ab ipso principio sumserimus de principio, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis.* Non enim absolute enunciatis hominibus fidem habuerimus, quibus licet etiam enunciare contrarium. Si autem non satis est solum absolute dicere, quod visum est, sed oportet etiam probare, quod dictum est, non *expectamus testimonium, quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod queritur, quæ est magis fide digna, quam quævis demonstrationes, vel potius, quæ est sola demonstratio, per quã scientiam, qui solum quidem gustavere scripturas, sunt fideles; sic ergò nos quoque ex ipsis, de ipsis scripturis perfecte demonstrantes, ex fide persuademus demonstrative.* Quæ prolixè hætenus recitavit illa in compendium quasi, libr. 6. Stromat. redegit, de norma controversiarum ita differens: Recta sunt omnia, inquit, in Scriptura coram iis, qui intelligunt, hoc est, iis, qui ab ipso declarata scripturarum expositionem, ex *Ecclesiastica regula* accipientes, conservant. Regula autem Ecclesiastica, est concentus & consensus legis & Prophetarum

conve-

convenienter testamento, quod traditur per Domini adventum. Cyrill. *Hierosol.* in Catech. salus fidei nostræ, est ex demonstratione *divinarum scripturarum.* Hilarius libr. 7. de Trinit. Ecclesiæ fides, *Evangelicis atque Apostolicis fundata doctrinis,* & adversus Sabellium tenet fidei professionem, & adversus Arrium Dei naturam, & adversus Photinum, seculi creatorem: & pagina 116. aut enim alia sunt Evangelia proferenda, quæ doceant, *aut si de Deo sola ista docuerunt,* cur non ita credimus, ut docemur? Quod si ex his tantum sumpta cognitio est, cur non fides exinde sit, unde cognitio: & pag. 125. non relictus est hominum eloquiis de Dei rebus *alius, præterquam Dei sermo:* omnia reliqua & arcta sunt, & conclusa & impedita, & obscura. Cyrill. *Alexandr.* l. 5. in Levit. si quid fuerit, quod *divina scriptura* non decernat, nullam debemus *aliam* tertiam Scripturam, ad *authoritatem scientiæ* suscipere. Ambros. l. 1. de fide ad Gratianum. c. 4. nolo argumento credas, sancte Imperator, & nostræ disputationi: *Scripturas interrogemus, Apostolos interrogemus, item Prophetas interrogemus, Christum;* quid multa? Patrem interrogemus, cuius honori studere se dicunt. Basiliius in asceticis serm. 6. p. 194. Si fidelis est Dominus in verbis ipsius, & fidelia sunt omnia mandata ipsius, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate, manifestus est fidei lapsus & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid, quod *Scriptura* habet, vel inducere quicquam, quod scriptum non est, cum Deus noster Jesus Christus dicat, *Oves meæ vocem meam audiunt, & præmiserit, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quoniam non norunt vocem, alienam;* & Apostolus per humanum exemplum vehementer prohibeat, aliquid in divinis scripturis vel addere vel demere, cum dicit: hominis tamen testamentum corroboratum, nemo reprobatur, aut aliquid illi super-

super-

Tom. 2.

superstruit, proinde quamcunque alienam à doctrina Domini vocem ac mentem, nos nunc & semper fugiendam esse cognovimus. *Et in regulis contractioribus quæstion. 95.* Necessarium est & consonum, ut ex sacra quisque scriptura, quod necesse sit discat, tum ad pietatis πληροφορίαν, tum ne adsuescat humanis traditionibus; hinc in Ethicis, definitione, 26. pag. 210. quodcunque vel verbum vel factum, corroborandum esse scripturae testimonio, ad πληροφορίαν bonorum & confusionem malorum, exemplo Christi, Matth. 4. asserit, quam suam assertionem definitione 70. pag. 231. hisce repetit verbis: Non tradenda est aliena doctrina, sed quæcunque præcepta sunt à Domino in Evangelio, & per Apostolos, & quæcunque illis consentanea sunt, docenda esse ab iis, quibus docendi munus creditum est. Eadem docet quoque, libro secundo adversus Eunomium circa initium: quæ fuerit autem (scribit illic) justior inquirendi ratio, quam si comparata istius oratione cum iis, quæ nos Spiritus Sanctus docuit, quicquid eis consentaneum inveniemus, admittamus; contrariis verò fidem nullam adhibeamus, atque adeò illa, ut inimica, fugiamus; Epistola 80. quæ est ad Eustathium Medicum. Scriptura divinitus inspirata, arbiter constituatur à nobis, & apud quos inventa fuerint dogmata; divinis sermonibus concordantia, his omninò etiam veritatis suffragium accedet. Et in cap. 8. Esa. fides nititur divinis scripturis. Ruffinus in Expositione Symboli: postquam Sacræ Scripturæ libros recensuisset, statim subjungit: Hæc sunt, quæ patres intra Canonem concluderunt, ex quibus fidei nostræ assertiones stare voluerunt. Chrysostom. hom. 58. in Johan. Meritò appellat Scripturas ostium, quoniam nos ad Deum ducunt, hæreticos arcent; per hoc ostium & oves & pastores ingrediuntur.

Quid

Qui sacrâ Scripturâ non utitur, sed aliunde ascendit, *fur est*, non concessâ viâ ascendit.

XLIII. Huc referendæ quoque sunt Patrum sententiæ exclusivæ. Tertullian. libr. de resurrectione mortuorum, aufer, inquit, hæreticis, quæcunque ut de Scripturis *solis*, quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. Et de Carne Christi: Non recipio, quod *extra* Scripturam de tuo affers. Origenes in Roman. 16. Ex divinis literis *Solis*, huiusmodi examinationis agnoscenda discretio est. Chrysostom. homil. 49. oper. imperf. in Matth. *Nulla* probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere veritatem fidei, *nisi* Scripturæ divinæ: & ibid. Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum, novissimis diebus esse futuram, ideo mandat, ut Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes accipere firmitatem fidei veræ, ad *nullam* rem fugiant *nisi ad Scripturas*: ibid. Qui vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, *nisi tantummodo per Scripturas*. Athanas. de Incarn. Christi: Si discipuli estis Scripturarum, per eas nobiscum incedite: Si *diversa* à Scripturis vultis fabulari, cur nobiscum decertatis, qui neque loqui, neque audire sustinēus, quod *extraneum* sit ab istis. Ambros. de vocation. gent. lib. 2. c. 3. & Theodoret. dial. 1. 1. c. 6. *ἐγὼ γὰρ μόνη πείθομαι τῆς θείας γεγραφῆς*. Ego in *Sola* Scriptura Divina acquiesco. Hieron. in cap. 1. Agg. Quæ *absq̄* autoritate & testimoniis Scripturarum, quasi Apostolica autoritate sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei. Et in cap. 23. Matth. Quod de Scripturis autoritatem *non* habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.

XLIV. Ipsi q̄; etiam contradicentes Papicolæ, pro unica norma agnoverunt.

F

Grego.

Gregorius Magnus Papa Romanus, l. 18. c. 14. moralium scribit; Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, ut causarum origines à sacris paginis sumat: ut *omne quod loquitur, ad divinæ authoritatis fundamentum revocet*, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet. Thomas p. 1. q. 1. art. 8. Sacra doctrina *authoritatibus Canonica Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando*, authoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ, non quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim *fides nostræ revelationi Apostolis & Prophetis factæ*, qui *Canonicos* libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta. Thom. Aqu. p. 3. q. 1. a. 3. Ea quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura continentur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Et lect. 1. in 1. ad Timoth. 6. doctrina Apostolorum & Prophetarum Canonica dicitur; quia est quasi (seu instar: particula enim, quasi, comparationis non diminutionis hoc loco nota est) regula intellectus nostri. Bonaventuræ seculo multum Philosophiæ tribuebatur, quam ut à finibus Theologiæ eliminaret, ad solas scripturas veritatis Studiosos, quantum potuit, revocabat: Sic enim 3. sent. dist. 1. q. 2. a. 2. scribit: *Nihil à nobis dicendum præter ea, quæ nobis ex sacris eloquiis clarent*. Hinc de eo Johan. Gerson: Bonaventura recedit à curiositate quantum potest, non immiscens positiones extraneas, vel doctrinas seculares, Dialecticas aut Philosophicas, terminis Theologicis obumbratas, more multorum: unde factum est, ut ab inde votis Scholasticis, quorum maior est numerus, ipse minus extiterit frequentatus. Sequentibus temporibus, Scholasticorum subtilitas palmam ferebat, quam de ponte deicere prima cura fuit, ut ita Scriptura sola in tribunali collocaretur. Gerson

part. 2.

part. 2. principali, de examinatione doctrin. consid. II. Scriptura nobis tradita est, tanquam *REGVLA sufficiens & infallibilis*, pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, usque in finem seculi. Est igitur talis ars, talis *Regula vel exemplum*, cui se non conformans alia doctrina, vel abiicienda est ut hæreticalis, aut suspecta, aut impertinens ad religionem prorsus est habenda. Videmus hoc quoque in Jochio Puppero Mechliniensi, de quo Mornæus ita: Omnibus Sophistarum & Scholasticorum glossis explosis. *foli Sacra Scripturae*, & in articulo justificationis, Paulo nominatim in hærendum esse docuit. Similiter Durandus præfatione in libros sententiarum. *Universaliter* de his, quæ tangunt fidem loqui oportet ad ea, quæ tradit *Scriptura Sacra*, ne quis incidat in illud Apostoli, si quis existimat se aliquid scire, nondum cognovit, quomodo oportet scire; modus enim est, non excedere *mensuram fidei: Sacra Scriptura mensuram fidei exprimit*. Quid quæso dici potest clarius? *universaliter* de rebus fidei loquendum secundum *Scripturam*; *Scripturam esse mensuram fidei*, hanc non excedendam. Et in 3. sentent. distinct. 25. quæst. 2. *Sacra Scriptura est regula fidei*, cui non licet aliquid addere vel demere. Anton. p. 3. tit. 18. c. 3. in summa. *Materia congrua prædicationis est Scriptura sacra*: semel enim loquitur Deus, loquitur autem in *Scriptura sacra*, & ita *copiosè* ut exponit Gregor. 22. Moral. quod non oporteat Deum iterum loqui aliquid necessarium, cum ibi *omnia* habeantur. Joh. Duns. Scotus. l. 1. sent. quæst. 2. prologi: *Sacra Scriptura sufficiens* continet *doctrinam necessariam* viatori, ad consequendum finem suum, qui est visio & fruitio Dei. Hinc Aliacus l. 1. sentent. quæst. 1. artic. 3. in *Scriptura omnem* fundat fidem; ut ad ipsam fiat ultima resolutio *Theologici discursus*, & ex ea primò, singulæ conclusiones *Theologicæ*

gicæ deducantur. Et 2. sent. q. 12. Hæc nova Evangelicæ legis doctrina est, penetrans ut gladius, conterens ut malleus, ardens ut facula, rutilans ut lucerna. Quæ velut gladius, omnium errorum abscindit Zizanias, quæ velut malleus, hæreses interimit univasas, quæ velut facula, nostrorum fasciculos criminum charitatis fervore comburit, quæ velut lucerna, per nocturna huius mundi silentia, lumen comitantibus exhibet, ne pedem suum ad lapidem erroris, exul homo & peregrinus, offendat. 4. sent. qu. 2. recurrendum est ad *solas Scripturas*, ut vitam æternam adipiscamur. Vincentius Lirinensis, libello adversus prophanas hæreses & novationes cap. 2. scribit, *perfectum esse scripturarum Canonem, sibiq; ad omnia satis superq; sufficere*. Lyra, præfatione in Tobiam. Sicut in Scripturis Philosophicis veritas cognoscitur, per reductionem ad prima principia, per se nota, sic in scripturis à Catholicis Dd. traditis, veritas cognoscitur, quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad scripturas, sacræ Scripturæ Canonicas, quæ sunt habitæ revelatione divina, cui nullo modo potest falsum subesse. Burgenis, in additionibus ad Lyram super prolog. art. 3. Constat autem, quod testimonia veritatis, in æternum fundata, sint testimonia sacræ Scripturæ secundum sensum literalem sumpta, è quo sensu solo testimonium potest accipi seu argumentum secundum Augustinum. Bellarminus in præfatione prima Tomi primi controversiarum habitæ, in Gymnasio Romæ Anno 1576. sub finem scribit. Convenit *inter nos & omnes omninò hæreticos, verbum Dei esse regulam fidei*, ex qua, de dogmatibus judicandum sit; esse *commune principium*, ab omnibus concessum, unde argumenta ducantur, denique esse *gladium spiritualem* qui in hoc certamine recusari non possit. Et libr. de verbo Dei. cap. 2. *Regula*, inquit, Catholica

lica

licæ fidei, certa notaq; esse debet. Nam si nota non sit, regula nobis non erit; si non certa, ne regula quidem erit: at Sacris Scripturis nihil est notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem esse habendam neget. Notissimas enim esse, testis est orbis Christianus & consensus omnium gentium. Et lib. 4. de verbo Dei cap. 12. ait; Scriptura, quia est *regula*, inde habet, ut quicquid continet, sit necessario verum & credendum, & quicquid ei repugnet, sit necessario falsum. Pistorius publicè scripsit, se paratum esse de *omnibus* controversis Articulis, ex *sola* Scriptura nobiscum differere. Andræus in principio libri tertii defensionis Concilii Tridentini. Minimè, inquit, illorum mihi displicet sententia, qui *Canonicas* ideò appellari dicunt Scripturas, quia pietatis, fidei & religionis *Canonem*, hoc est, *regulam* atque *normam*, è Coelis, summo DEI beneficio ad nos delatam, continent amplissimam. Sixtus Senensis l. 6. Bibliothecæ, annotatione 151. asserit, Sacram Scripturam, prima summaq; rerum credendarum *principia*, ac præcipua benè vivendi præcepta & exempla cognitu facilia cõplecti. Matthias Bredembach, in libello de dissidiis Ecclesiæ componendis scribit, Scripturam Ecclesiæ traditam, tanquam *Regulam*, ad quã, tanquã ad amissum, aut, quod dici consuevit, *Lydium lapidem* omnium hominum, tum vitam tum fidem, tum doctrinam exigere atq; examinare debet.

Ergò Verbum Dei, libris Prophetarum & Apostolorum comprehensum, ratione finis directivi, est totalis, unica, perfectissima & infallibilis, omnium judicandarum controversiarum, totius religionis Christianæ norma, *Id quod contra Pontificios erat demonstrandum.*

Script. Sacra



A D

Dn. M. CHRISTOPHO-
RUMSCHOLIUM,

D E

NORMA CONTROVER-
siarum Respondentem.

Quòd Canonem, Scholti, Celebras, quem
dogmatis unum

Cunctis prefixum, pagina sacra docet:


*Te Canonis vigilem, magno res Argumento,
Observatorem, dogmatis esse probat.*

*Macte animi, es felix! sic pergito! Nam Ma-
ledictus,*

Quisquis Doctorum negligit hunc Kanóna.

Matthias Hafenrefferus, D.

Aliud



Aliud Epigramma.

Papa amat, incertus dum litigat orbis, haberi
 Judex, & verbis nos quoq; stare suis.

Est ut amat, SCHOLTZI: sed nil tamen
 equior, atq;

PONTIUS in caussa mellee CHRI-
 STE tua.

Amico & Contubernali suo

Cunradus Cellarius, Poëta No-
 bilis, Physices in Acad. Tub. P. P.

Errata insigniora sic corrigantur:

Thef. 7. lin. 9. in fine deleatur hunc, ibid. lin. 22. loco. 47. leg. 17. Thef.
2. 1. lin. 1. leg. Galat. 1. v. 8.

Reliqua, quæ irrepsere, Lectoris candori commit-
 tuntur.

F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Theol. ev. polem. 242, 57